



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni**

**Pedro <de los Angeles>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1681**

Sectio VII. De revocatione Privilegiorum ab homine, sive privatim facta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

Tridentini disponens approbationem necessariam esse, & revocans consuetudinem illam, non indiget tanta publicatione, ut ad singulorum notitiam actu perveniat, sicut indiget privilegium, quod est quasi lex privata.

285. 9. Similiter, si per legem, aliqua excommunicatio reservetur Pontifici, invalidè absolvetur ab ea, qui ante reservationem poterat, etiam si invincibiliter ignoret reservationem, post tempus sufficiens à promulgatione; quia ibi nullum intervenit privilegium. Nota etiam hic obiter ex Azor *ubi supra*, quod si quis incidit in peccatum, cui annexa est excommunicatio reservata, si postea Pontifex ipse, vel alius, tolleret reservationem talis excommunicationis, nihil dicens de tempore futuro, vel præterito in revocatione, quod talis posset absolvi à quolibet confessore ab excommunicatione præterita reservata, quia ablatio reservationis, etiam retrahitur ad excommunicationem antea incursum, & sic manet sine reservatione, & tutà conscientiam absolvitur,

286. 10. Consequenter inferitur, quod si quis hodie cum ignorantia invincibili decreti Trident. *sess. 24. cap. 1. de reformat. irritantis* matrimonia clandestina, contraheret matrimonium absque præsentia Parochi; matrimonium esset nullum, quia quod id posset fieri validè ante Tridentinum, non erat privilegium, sed jus commune. Ratio est, quia in his, & similibus non militat ratio privilegij, ut clarè pater, sed proportio rationis servatur, sicut enim ad revocationem privilegij, quod est lex privata, est necessaria notitia revocationis in sine

gulis privilegiatis, ita ad revocationem legis communis necessaria erit, & sufficiens communis notitia illius, ut *supra* declaratum manet; sic Merola, ex Vazquez, Sairo, & alijs.

## SECTIO VII.

*De revocatione privilegiorum ab homine, sive privatim facta.*

1. **C**onveniunt ferè omnes, revocationem ab homine, sive privatam, non habere effectum antequam ad notitiam certam privilegiati perveniat; ita Azor *supr. quest. 6.* ubi nomen denuntiationis, pro notitia certa usurpat. Unde cum sola dubia notitia non impeditur privilegium; quia melior est conditio possidentis, neque cum sola probabili tenetur abstinere ab illo, ut docent Auctores relati *supra*, & per se pater. Ex dictis inferitur manifestè, quod si revocatio privilegij fiat per legem universalem, sive per privatam, non habet effectum in ignorantibus invincibiliter revocationem; etiam post sufficiens tempus, ut illam possent habere exceptis casibus assignatis *supra sect. 4. hujus disp. à num. 3.* quia inculpabiliter eam non habent; sic P. Merola cum Doctoribus adductis *sect. præcedenti* pro nostra sententia *eod. cap. 7. disp. 6. diff. 2.* ubi *num. 254.* rejicit sententiam Suarez, & Bonacinæ assignantium differentiam quantum ad hoc inter revocationem per legem universalem, & legem privatam, seu particularem, & constanter affirmat, quod si revocatio fiat per legem, sive fiat ab homine, nunquam habet

bet effectum revocatio privilegiorum; donec ad notitiam privilegiati perveniat, & notitia sit certa, & hoc non aliâ ratione, nisi quia ita præsumitur rationabiliter de intentione Papæ, qui privilegium concedit, ut sic incommoda vitentur, quæ sine culpa sequi possunt in conscientiis suarum ovium, & commoda in favorem animarum sequantur, ut diximus *supra*.

2. Hoc ut certò, vel saltem probabiliter supposito, supersunt aliqua examinanda, pro resolutione sectionis. Videlicet, quæ publicatio, & ubi sit necessaria, ut revocatio ab homine, seu privata fortietur suum effectum?

288. 3. Pro cuius intelligentiâ est notandum cum Azor. *ubi supr. quest. 6.* quod privilegium potest esse concessum solum alicui determinatæ personæ ratione sui, aut pro loco particulari; vel potest esse concessum Collegio, Conventui, vel Confraternitati, vel peculiari Dicæ clesi, aut Religioni, vel denique alicui personæ determinatæ ratione officij, seu dignitatis.

289. 4. Quo prænotato, *dico primò*, si concessum sit privilegium determinatæ personæ ratione sui, vel peculiari loco, necesse est, ut ipsi privilegiato notificetur revocatio, quia non est alius modus publicandi respectu ejus, ut communiter docent Doctores. Est tamen controversum, an hæc notificatio debeat fieri, vel per litteras derogantis, aut per Nuntium, ad hoc destinatum ab ipso, & ad privilegiatum directum? An verò, ut ei notificetur derogatio, sufficiat quælibet alia certa notitia, undecumque privilegiato proveniat. Hoc secundum tenet Azor. *ubi supra* cum alijs relatis à

Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 30. num. 13. & disp. 36. num. 9.* & sequitur Merola *supra* num. 256. ait ipse Sanch. Bonacina, & alij docent probabiliter esse necessarium, ut hæc denuntiatio fiat, vel per Nuntium, vel per litteras destinatas ad privilegiatum, nec sufficere, ut privilegiatus aliâ viâ privatâ cognoscat revocationem sui privilegij, & stando in privilegio concessio Patribus Societatis à Gregor. XIII. *supra* relato, verissima est hæc sententia, sed absque tali privilegio secundus modus dicendi probabilior mihi videtur, quia ad valorem revocationis ex natura rei, non est necessaria acceptatio privilegiati, nam eo invito potest privilegium revocari, in quo differt revocatio à concessione, ut *infra* dicam, quia notitia solum est necessaria ad vitanda inconvenientia, quæ aliter sequi possent, ad hoc autem sufficit notitia certa quacunque viâ comparata. Ergo absque solido fundamento alius modus desideratur sine ratione cogente.

290. 5. *Dico secundò*, quando privilegium est concessum alieni Communitati particulari, non est necessarium, ut ejus publicatio, seu intimatio revocationis fiat cuilibet particulari de tali Communitate, sed sufficit, ut fiat corpori Communitatis, videlicet, ejus Capitulo, vel ejus Capiti, ut Priori, Provinciali, si concessum sit Provinciæ, vel si toti Religioni, sufficit, quod publicetur, seu intimetur Capitulo Generali, vel ipsi Generali, vel ijs, qui eorum vices gerunt, vel Procuratori Generali, seu Provinciali, & ex illis cum primùm possit ordinatè debet derivari notitia in singulos, quod si negligenter se gerant, quibus hoc incumbit,

bit. Absque dubio, peccabunt graviter, ipsi tamen subditi ignorantes invincibiliter revocationem, licite utuntur privilegio quoad usque certam notitiam ejus habeant, ut ex dictis patet.

291. 6. Dubitabis *tertio*, an sicut requiritur notitia revocationis privilegij in privilegiato, ut revocatio vim habeat; ita requiratur ut notitia concessionis privilegij, ut illo valide utatur? Aliqui docent privilegium habere vim, ac prodesse semper statim, ac rescriptum est, & authenticè confectum, & subscriptum, seu Bullatum; etiam si ab eo, cui conceditur ignoretur; sic Geminianus in *Cap. 1. de concess. prebend. in 6.* & alij multi Juristæ, & Canonistæ.

292. 7. At Silvester, *verb. Privileg. quest. 15.* ait: Quod si privilegium concedatur ad instantiam privilegiati per se, vel per suum Procuratorem, statim privilegiatum gaudet privilegio; etiam si nullam habeat notitiam concessionis, at si concedatur ex motu proprio, vel petitione alterius, ignaro privilegiato, nihil valet privilegium, sine notitia illius. Sit exemplum alicui petenti per se, vel per alium à se excitatum, Conceditur privilegium, ne possit excommunicari, si excommunicaretur post privilegium sic concessum, nulla esset excommunicatio, etiam si tempore excommunicationis privilegiatus nihil sciret de concessione privilegij, secus verò esset, si privilegium esset concessum motu proprio, vel ad petitionem alterius, inscio privilegiato, nisi aliud exprimeret Pontifex in concessione.

293. 8. Ratio disparitatis est, quia in primo casu, & adest voluntas concedentis, & ejus cui conceditur in proprio

procuratore. In posteriori autem non ita, donec illi, cui concessum est privilegium innotescat, & illud acceperit; sequuntur hanc sententiam multi cum Sanch. *lib. 3. de matrimon. dif. 36. num. 6.* & licet illam etiam sequantur Stuar. *lib. 6. de leg. cap. 11. n. 8.* & *lib. 8. cap. 25. n. 25.* Vazq. *1. 2. disp. 156. n. 31.* Salas de *leg. disp. 12. sect. 7. n. 30.* sed cum limitatione; dummodo intelligatur de privilegijs, quæ dant aliquod jus, & potestatem ad aliquid agendum; non verò de illis, quæ sunt dispensationes in aliqua lege communi obligante in conscientia.

*Primum* apparet in potestate ad eligendum confessorem, vel ad absolvendum à reservatis, & etiam in privilegio, quod concedit immunitatem ab aliquo onere, vel exemptione, ab alterius jurisdictione. Secus verò dicendum existimant in privilegijs, quæ continent dispensationem legis, auferendo obligationem in conscientia; adducunt de hoc exempla in privilegio contra legem Tridentin. annullantem matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, & in lege jejunijs. Unde affirmant, quod si quis contraheret matrimonium in gradibus prohibitis post concessum privilegium, seu dispensationem, non sufficit acceptatio illius per Nuntium, sed requiritur propria, & personalis, & consequenter notitia propria ipsius privilegiati, aliàs non solum peccaret, sed etiam matrimonium esset nullum, quia talis non potest uti dispensatione, tutâ conscientia, donec in se illius notitiam habeat; nam exponeret se periculo transgrediendi legem, ac proinde peccaret. Cum igitur dispensatio concedatur propter usum id est,

ur

ut licite privata persona contra legem communem operetur, non censetur ei prodesse dispensationem, quousque in se notitiam habeat dispensationis: Ex eo enim tempore solum, rura conscientia, poterit contra legem communem operari. Hæc enim est intentio & mens Pontificis dispensantis, aliàs præberet occasionem peccandi operantibus, sine tali notitia, ut per se patet. Non ergo est credendum, velle Pontificem dare occasionem illius pravi usus privilegii.

294. 9. Nihilominus sententia Silvestri absolute est tenenda sine dicta limitatione, eamque sequuntur Sotus in 4. distinct. 29. dub. 14. in appendice, §. post dispensationem. Ludovic. Lop. part. 2. tract. de matrim. cap. 42. Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 36. num. 6. & 8. Bonacini, de leg. disput. 1. tract. 4. quest. 3. punct. 3. num. 15. Castro Palao, part. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 3. Granad. 1. 2. contro. 7. tract. 3. part. 1. disp. 11. sect. 3. num. 21. & alii.

10. Probatur primò, quia ad effectum privilegii non satis est concessio activa, sed requiritur admissio passiva, quæ non satis est sine voluntate privilegiati acceptantis, vel per se, vel per procuratorem à se specialiter ordinatum ad munus adipiscendi pro se privilegium, ut bene notat Merula nu.

101. quia generalis commissio procuræ ad omnia negotia non sufficit. Ratio est, quia beneficium non confertur invito, neque aliquis potest sine voluntate aliquid acquirere. Ad voluntatem autem acceptandi, necessaria est notitia, quoniam voluntas non fertur in incognitum: Ergo privilegium operari

non potest circa ignorantem ante sui notitiam.

11. Confirmatur, quia privilegium est quædam donatio, ut docent Anchar in Cap. 1. de concess. præbend. in 6. num. 6. & Franc. ibidem. §. ex parte, donatio autem requirit voluntatem, non solum donantis, sed & recipientis per se, vel per alium à se designatum, ut valorem habeat: sic sentiunt communiter Doctores.

12. Neque fundamentum Vazquez & Suarez contra nostram sententiam aliquid obstat, nam ex eodem probatur contra ipsos, quòd neque in privilegiis concedentibus aliquod jus, & potestatem, aut immunitatem ab aliquo onere, vel exemptionem ab alicujus jurisdictione, esset sufficiens acceptatio, & notitia per nuntium ad id destinatum; siquidem ille qui uteretur potestate absolvendi à reservatis, antequam ipse certò habeat notitiam facultatis sibi concessæ, exponit se periculo faciendi Sacramentum irritum, siquidem ignorat concessionem, & dubitare debet, an sit concessa vel non; ac proinde peccat graviter. Similiter si quis antequam habeat notitiam suæ exemptionis à jurisdictione Ordinarii, non pareat illi, vel contemnat censuras ejus, mortaliter peccat: Ergo si in his privilegiis non requiritur propria notitia, & personalis acceptatio, vel per nuntium à se destinatum, ut Vazquez & Suarez concedunt, semper utens privilegio sine propria notitia, se exponit periculo peccandi, neque aliter cum fundamento præsumitur de mente Pontificis; & nescio cur non erit idem dicendum ab ipsis Authoribus exclu-

295.

296.

his, eum per dispensationem in utroque casu tollatur obligatio legis, antequam ad notitiam privilegiati perveniat, & licet verissimum sit, quod talis usus sit peccaminosus, propter periculum, cui se exponit; hoc est tantum per accidens, & ratione periculi ex ignorantia provenientis: actus vero per se non est malus, nec contra legem, si revera concessum erat privilegium, seu dispensatio modo dicto.

Idcirco si lata esset excommunicatione ab Episcopo contra eos, qui in Quadragesima, vel vigiliis Sanctorum carnes comedunt, & aliquis post expeditam dispensationem à Pontifice, per Nuntium impetravit, ut possit carnes comedere, non incideret in excommunicationem, etiamsi illam ignoraret, licet ob periculum graviter peccaret. Unde dicendum est cum relatis Authoribus, quod in omnibus privilegiis requiritur, & sufficit ad eorum valorem seu effectum acceptatio per se, seu per Nuntium, vel Procuratorem ad id destinatum, sed notitia propria requiritur in privilegiato, ut non temere operetur.

297.

13. Neque de mente Pontificis potest presumi intentum Vazquez & Suarez, sed potius oppositum, ut beatus notat Layman, qui nostram sententiam sequitur *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 10.* Nam Summus Pontifex, nisi aliud exprimat, in dispensationibus seu privilegiis, intendit quod est per se, & ex natura rei, non vero quod per accidens & raro contingit. Per se autem, & ex natura rei dispensatio absoluta robur suum habet post nutum perentis, sive per se, sive per Procuratorem, & con-

cedentis consensum. Ergo idiplurum intendere censetur Pontifex, esto per accidens, propter defectum certæ cognitionis, aliquid interdum imprudenter, vel temerariè operetur. Unde si quis ab Ordinario petivit facultatem per Nuntium, ut assistere possit alienus Sacerdos matrimonio, & prudenter seu probabiliter præsumat, jam fuisse concessam, saltem in casu necessitatis, non solum validè, sed licitè posset uti tali dispensatione, & fieri verum matrimonium, si dispensatio concessa erat, quamvis ignoraretur à petente; ita Sanchez, *ubi supr.* & *ibidem* Layman cum ceteris relatis, quia in tali casu adest sufficiens fundamentum concessionis, & adest acceptatio.

14. Verum est, quod non sufficiat notitia parta ab aliquo, qui casu audit, vel scivit, privilegium fuisse à Pontifice concessum, neque si ipsemet privilegiandus casu audierit, concessionem esse factam, sed opus est, ut Pontifex donans intimer donatario, vel per se ipsum, vel per Nuntium, aut epistolam privilegium concessum, seu donatum esse. De exemplum: si ego domi existens donarem Petro fundum, & illo casu audiens acceptaret, non esset perfecta & irrevocabilis donatio. Ratio est, quia ut donatio sit efficax & valida, necesse est, ut saltem per nuntium ab ipsomet donante destinatum, vel per epistolam intimer donatario, quia huiusmodi acceptatio ad minus requiritur ut perficiatur contractus donationis, cuius perfectio in consensu utriusque partis consistit. Cum igitur concessio privilegii sit quedam donatio, sine acceptatione & consensu tam dan-

298.

ris, quàm recipientis, nequit valorem habere sic multi relati, & sequitur Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 36. num. 7. Verum quidem est, quòd præsuppositâ hâc notitiâ sufficit, quòd acceptatio sit tacita, nempe quòd privilegiandus, cui intimatur privilegium, expressè non contradicat, quia in favorabilibus, tacens consentire videtur, ut docent gloss. in Cap. Non me. ne præsumpt. lib. 3. præsumpt. 42. num. 4. & communiter Doctores, qui afferunt, ad hoc ut donatio facta absenti sit valida, & fiat irrevocabilis, satis esse tacitam acceptationem donatarii, ut si absens, cui notificata est, non contradicat, non secus ac in communi sententia affirmatur, de donatione facta præfenti.

299. 15. Non me latet esse aliqua privilegia, quæ licet concessa sint solo motu proprio, profint privilegiatis à die concessionis, etiam si nullam notitiam illorum habeant, ut multi docent de privilegiis nobilitatis, militiæ, alienationis, feudi, ex facultate Regia, acceptationis alicujus in civem, ut videre est apud Molinam de primog. Hispan. Tiraquel. l. Si unquam, verb. Donatione largitatis, num. 330. Tapia in l. fin. 1. part. cap. 4. num. 30. ff. de const. Princip. & alios, quàmvis in his aliqua sint controversa, sed ab illis abstinere, quia extra intentum, & quia in eis militat diversa & specialis ratio.

300. 16. Excipitur etiam privilegium ad absolvendum ab excommunicatione, ut diximus. Hæc enim cum possint absenti, & invito conferri, prodest ante acceptationem, & cognitionem, ut docet D. Thomas in 4. distinct. 18. qu.

ult. art. 5. quem sequuntur omnes communitor.

17. Addunt aliqui, quòd non solum hæc privilegia concessa ad petitionem procuratoris privilegiati, habent effectum statim, ac per Procuratorem, seu Nuntium ad id destinatum acceptantur, verum à die concessionis Pontificis, ante acceptationem Procuratoris; quia ex tunc censentur à privilegiato acceptata, ex vi petitionis privilegii factæ à Procuratore, nomine ipsius privilegiandi. Imò acceptatio tunc videtur antecedenter facta ex vi petitionis, quasi sub conditione, si Pontifex concedat: Ergo nulla superest necessitas notitiæ concessionis in Nuntio, vel Procuratore ad effectum privilegii, cum solum propter acceptationem desideretur, & jam facta supponatur à proprietario, & cum ex alia parte voluntas Principis concedentis adsit, nihil potest obstare, quominus sit efficax, & suum effectum assequatur, non secus ac quando privilegium conceditur absenti per epistolam ipsius petentis, sine Procuratore, in quo casu tale privilegium habet effectum à die concessionis, & non requiritur nova acceptatio, vel notitia concessionis à privilegiato, quia tunc censetur ab ipso acceptatum antecedenter, ex vi ejusdem epistolæ. Sic docent Silvester, verb. Privileg. quæst. ult. Rosell. verb. Indulgentia, num. 8. Tabiena, qu. 10. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 10. & alii. Quæ sententia etiam habet verum, quàmvis privilegium concedatur à Papa cum clausula: *motu proprio*, & intercedat supplicatio privilegiandi, quia hæc clausula non

semper excludit diligentiam petentis. Stat enim optime, quò concessio sit *motu proprio*, & quòd fiat ad petitionem partis, videlicet, quando Pontifex non fuit motus ad concedendum, principaliter ex petitione; licet excitatus sit ab illa: motus tamen à sua voluntate propter rationes sibi notas, ut docent communiter Juristæ, & cum ad intentum, sufficiat petitio per epistolam ad acceptationem, sive concessio sit *ex motu proprio*, sive non; assertio hæc erit verissima, quia semper intervenit acceptatio, ex parte privilegiandi, & voluntas concedendi ex parte Pontificis. Unde cum primum Summus Pontifex petitioni annuit, licet litteræ expeditæ non sint, privilegium concessum censetur, exceptis provisionibus beneficiorum, de quibus jure novo Pontificio, aliter statutum est, ut videri potest apud Azor, Tom. 1. lib. 5. cap. 2. quæst. 5. & alios.

302. 18. Similiter voluntas acceptandi sufficit, quòd sit virtualis, si privilegium detur per modum legis alicui Communitati, & sit intimatum illi, licet particularis aliquis id ignoret, quia illa notitia, & acceptatio publica Communitatis, est cognitio, & acceptatio virtualis singulorum de Communitate: nam eo ipso, quòd per totam Communitatem non est renunciatum privilegio, acceptant omnes. Ratio est, quia privilegium datum per modum legis, per se primò ipsi Communitati conceditur, quia lex pro aliqua Communitate ferri debet, alioquin non erit magis lex, quàm qualibet privata ordinatio. Unde si per accidens contingat, quòd aliqua privata persona illius Commu-

nitatis ignoret illud, ut sæpè contingere potest in Religiosis, tunc ignorantia non impedit effectum privilegii; etiam in quolibet particulari, quia jam illud est cognitum, & acceptatum à corpore Communitatis, ubi virtualiter includuntur singuli de Communitate.

19. Ex quo optime infert Suarez 303. lib. 8. de leg. cap. 25. num. 16. cum aliis validam esse absolutionem à casibus Pontifici reservatis, datam à Religioso habente facultatem absolvendi ab eis, vigore privilegii suæ Religionis concessi, quamvis ipse id privilegium ignoret, quia virtualiter habet notitiam illius, ex eo quòd certè præsumitur habere voluntatem generalem gaudendi & utendi privilegiis suæ Religionis; ignorantia autem illa, qua laborat, est error privatus, & concomitans, qui non excludit privilegium, nec generalem intentionem gaudendi privilegio, Suarez sequitur Merola, num. 94.

20. Quæ doctrina non solum est vera, quando privilegium conceditur alicui Communitati, sed etiam, quando conceditur aliquibus personis ratione officii, esto tales personæ verè Communitatem, aut Collegium non constituent, ut si concedatur Consiliariis Principis, vel Gubernatoribus talis loci; & idem est, quando conceditur particulari personæ ratione officii, ut notat Mandos. Tract. de privileg. ad instar. lib. 2. gloss. 7. in fine, & sic fuit resolutum in Rota Romana teste Cardinale Puteo decis. 21. lib. 2. quòd privilegium concessum Referendariis, competit eis, etiam si ignorent privilegia. Et cum objectum fuisset, quòd privilegium non favet, ni-



si à die scientiæ; responsum fuit. quòd illud procedit, quando privilegium datur alicui personæ privata ratione sui; secus quando datur ratione officii: nam conceditur pro omnibus successoribus in officio, & acceptando officium, & universaliter acceptat illud cum omnibus oneribus & honoribus illi annexis; sic Merola *cap. 6. num. 94. & 95.*

305. 21. Non obstat communis regula Juristarum, videlicet: *quandiu quis ignorat jurisdictionem se habere, non valet quod agit.* Nam responderet Suarez *ubi supr. num. 17.* quem sequitur Merola *num. 96.* regulam illam solum habere locum in jurisdictione contentiosa, non autem in jurisdictione voluntaria, ad quam absolutio à censuris, vel à peccatis pertinet.

306. 22. Aliqui prætendunt præfatam doctrinam de absoluteione à reservatis solum habere locum quando Religiosus absolvens ignoraret privilegium, & etiam ignorat casum esse reservatum; secus verò si sciat casum esse reservatum, & ignorat privilegium; in hoc enim casu affirmant esse invalidam absoluteionem, ex eo quòd tunc non potest verè habere intentionem absolvendi, cum certò sciat se non posse absolvere. Ita sentit Suarez, & sentire tenentur illi, qui affirmant non esse validum matrimonium, quando contrahentes falsò existimant subesse impedimentum dirimens, quos refert Sanchez statim citandus.

23. Sed probabilius est in utroque casu absoluteionem esse validam, dummodò absolvens intendat, quantum est ex se, absolvere, eodem modo, ac si potestatem haberet, vel secundum omne quod potest. Sicut validus est baptismus, si quis baptizaret aliquem, quem falsò putat fuisse antea baptizatum, si dum abluit, intendit, quantum est ex se, baptizare, ac si ille baptizatus non esset. Similiter hæreticus, qui credit baptismum esse irritorium, & nihil valere, verè baptizaret, si intenderet facere quod potest & facit Ecclesia, ut omnes concedunt. Si ergo cum errore valoris baptismi est compossibilis intentio baptizandi, cur non erit idem dicendum in nostro casu de Religioso absolvente cum ignorantia, & privilegii, & reservationis censura, seu peccati, si intendit facere totum quod potest, ut regulariter debet præsumi; sic tenet Merola *num. 98.* & tenentur admittere omnes, qui affirmant validum esse matrimonium, quando contrahentes intendunt quantum est ex se contrahere, licet falsò putent subesse impedimentum dirimens, hi sunt Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 33. num. 2.* & alii ab ipso relati.

24. Ad fundamenta adducta in contrarium, *num. 8.* ex Suar. patet ex dictis, negatur enim in tali casu matrimonium esse non solum illicitum, sed etiam invalidum, cum ex fundamentis adductis constat esse validum, si dispensatio jam erat concessa procuratori, quamvis ignoraretur à contrahente.

307.

308.